

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1158

**Auteur(s) :** Guillaume de Tancarville, Bayeux (chanoine)

**Bénéficiaire(s) :** Sibylle de Douvres [particulier]

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1240, 10 mai

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Guillaume de Tancarville donne par testament à sa parente, Sibylle de Douvres, qui les tiendra comme lui du chapitre, ses maisons à Douvres et tout son patrimoine, sauf les terres qu'il réserve pour son obit, à Douvres, à Anguerny, à Neuilly, à Saint-Vigor, etc. Le prêtre Henri Bracheguerre tiendra ces terres du chapitre, moyennant 5 sous tournois qu'il paiera annuellement pour l'obit du doyen Guillaume IV de Semilly ; après la mort d'Henri, ces 5 sous seront distribués au propre obit de Guillaume de Tancarville. Cet acte, d'une importance réelle, fait encore connaître les autres volontés du testateur, ses dettes et leur paiement sur les meubles d'abord, les prix de location des immeubles, l'institution d'exécuteurs testamentaires, etc.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCLXIX, t. 2, p. 88-90.

Texte établi d'après a

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen. Ego Willelmus de Tanquarvilla, canonicus Baiocensis, anno Domini millesimo ducesimo quadagesimo, mense maio, die crastina Translationis beati Nicholai, condo meum testamentum hoc modo : Domos meas, quas apud Dobram habeo, et totum patrimonium meum, exceptis quibusdam terris subscriptis quas michi retineo ad obitum meum recolendum, Sibillæ de Dobra, cognatæ et hæredi meæ, do, lego, sive relinquo sibi et hæredibus suis tenendum et habendum a capitulo Baiocensi, eo modo quo ego et antecessores mei tenuimus ab eisdem. Terras autem istas assigno ad obitum meum in ecclesia Baiocensi recolendum, scilicet unam acram quam Gaufridus, filius Hugonis Osmundi, de me tenet apud Dobram ; et duas acras quas habeo prope Aguerneium et Maram ; et totam terram quam colit de feodo meo Alexander, pincerna, frater meus ; et illam quam tenet in dotalicio Orengia, sorora (sic) mea ; item, quicquid habeo apud Nuilleium, et apud Sanctum Vigorem. Volo autem quod terras obitui meo assignatas teneat de capitulo Baiocensi, meis dominis de hoc feodo, dominus Henricus Bracheguerre, presbiter, ad tempus vitæ suæ, reddendo inde dicto capitulo annuatim quinque solidos Turonenses, die obitus domini mei Willelmi, decani ; et post ejusdem Henrici mortem vel cessionem, totus hic redditus cedat ad meum obitum recolendum. Volo etiam quod, si mobilia mea non sufficiunt ad debita mea solvenda, quod (sic) ad ea solvenda totum patrimonium meum maneat obligatum : ita quod dicta Sibilla, pro rata quæ eam continget, debita mea solvere teneatur ; et dictus Henricus, pro rata quæ eum continget ; vel de redditu quem ad meum obitum assignavi subtrahatur aliqua pars quæ cedat ad obitum domini mei Willelmi, decani, et magistri Johannis de Bello Monte ; et sic dictus Henricus absolute habeat ad vitam suam quicquid remanebit ad obitum recolendum ; et Sibilla ad residua debita mea solvenda remaneat obligata. Debita autem, in quibus teneor, sunt hæc : ecclesie Baiocensi, de bonis Willelmi, decani, et magistri Johannis de Bello Monte,

quæ ad obitus eorum collegi, septemdecim libræ Turonenses ; domino Johanni de Arreio, illud quod solvendum remanet de tredecim libris Turonensibus ; Willelmo Crispini, viginti quinque libræ Turonenses ; domino Henrico Bracheguere, sexdecim libræ Turonenses quas nuper mihi transmisit ; Robino de Karon, pro domo sua quam ad fenum ponendum habui, pretium justæ locationis, substractis tamen expensis quas feci in domo illa sustentanda ; Willelmo de Poterna, viginti solidi Turonenses, de legato domini Willelmi Alani, cui de eodem legato adhuc debet filius præpositi præbendæ de Montibus centum solidos Turonenses. Ad hæc autem quæ disposui et ordinavi exequenda, et ad ea quæ mihi debentur petenda et recipienda, constituo executores dominum Radulfum, nepotem decani, canonicum Baiocensem, et dictos Willelmum Crispini et dominum Henricum Bracheguere, sacerdotem. Ad cuius rei robur et firmitatem, præsentis scripto sigillum meum apposui. Ad hæc autem exequenda duo tertium non expectent, nec etiam unus duos expectet ad aliquid horum exequendum, si duo noluerint, vel non potuerint interesse.